



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Socratis exterior vultus, & interior vistus, cum Silenis comparantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

gem reduxit. In tuummet sinum inspicere, & cogitare, quoties te angustia, cura, dolores refrænârint in præcipitia ruentem? quoties ad DEVM aegerint trepidantem. An illa mala esse arbitraris, à quibus, à vitæ licentia, fuisti retractus, & ductus ad salutis fontem? Noli ergo, malorum nomine, res tibi tam bonas deuenustare. Quis agricola, sarculum, aratrum, stiuam, mala vocat? Sunt tamen illa laboris instrumentum, & fatigant illum. At sine illis, vt non ferit, ita nec metit.

IV.

Fortunæ mancipia nominum ludibrijs pascuntur, &, inter summa bona, nominant res nocituras. Qui mente carent, apud eos fulgor externus primas partes agit. Charius illis est plumbum auratum, quàm plumbò inclusum aurum. Mundus suspicit captos cupiditatibus Reges, qui, catenatæ instar simiæ, in purpura circumducuntur. Communis hic est error: perfunctoriè pretia æstimantur, & pluris fit, quod apparet, quàm quod est in recessu. Ideo & gemmæ negliguntur, quando non sunt politæ, vt splendeant. Longè alia essent iudicia, si, detractis laruis, quæ latent, inspicerentur; nemo adoraret Charetis pollicitationes; nemo crucis thesauros contemneret, qui profanis oculis non ostenduntur, si lynx esset; immò nisi talpa esset. Nam multi *oculos habent, & non vident*, quid vel Mundus, vel DEVS condat.

Psal. 113. 13.

V.  
Plato in  
Coniuiio.  
Erasmi. Chil.  
3. Cent. 3.

Alcibiades, apud Platonem, Socratis encomium dicturus, eum Silenis similem facit, quòd is multò alius esset propius intuenti, quàm summo habitu specieque videretur. Quem, si de summa, quod dici solet, cute quis æstimasset, non emisset asse. Facies erat rusticana; taurinus aspectus; nares simæ, mucòque plenæ. Sannionem quempiam, bardum, ac stupidum dixisset. Cultus neglectus, sermo simplex ac plebeius, & humilis, vt qui semper aurigas, cerdones, fullones, & fabros haberet in ore. Nam hinc ferè sumebat illas suas inductiones, quibus vrgebat in disputando. Fortunæ tenuis vxor, qualem ne vilissimus quidem carbonarius ducere posset. Videbatur ineptus ad omnia Reipublicæ munia; adeò, vt, quodam die, nescio quid, apud populum, adorsus agere, cum risu sit explosus. Denique iocus ille perpetuus nonnullam habebat morionis speciem. Cùm, ea tempestate, ad insaniam vsque, ferueret, inter stultos, profitendi sapientiam ambitio, nec vnus esset

Gorgias

Gorgias, qui, se nihil nescire, iactaret, & ardelionibus huiusmodi nusquam non referta essent omnia, solus hic homo, *unum se scire*, dictitabat, *quod nihil sciret*. Atqui, si Silenum hunc explicuisses, videlicet numen inuenisses potius, quàm hominem; animùm ingentem, sublimem, ac verè Philosophicum, omnium rerum, pro quibus cæteri mortales currunt, nauigant, sudant, litigant, belligerantur, contemptorem; iniurijs omnibus superiorem, & in quem nullum omnino ius haberet fortuna, & vsque adeò nihil timentem, vt mortem quoque nulli non formidatam contempserit: in tantum, vt cicutam eodem biberit vultu, quo vinum solet; vtque iam moriens etiam in Phædonem suum iocaretur, & sapiens oraculo, immo omnium mortalium sapientissimus pronunciaretur.

Hunc talem, facie vilem, pectore incomparabilem Alcibiades cum Silenis idcirco contulit; quia olim Sileni statuzæ feciles fuerunt, & ita concinnatæ, vt diduci & explicari possent. Clausæ ridiculam ac monstrosam tibicinis speciem habebant: apertæ subito numen ostendebant, vt artem sculptoris gratiorem; iocosus faceret error. Imaginum autem istarum argumentum sumptum erat à ridiculo illo Sileno Bacchi pædagogo, numinùmque Poëticorum morione. Ita nimirum non solùm multi hominum habitu, vultuq; longè minùs præ se ferunt, quàm in animo claudant; sed quàm plurimæ res quoque aliæ, in speciem, & primâ, quod aiunt, fronte, malæ, viles, miserabiles videntur, quæ tamen interiùs, ac propiùs contemplanti, atque re ipsa sunt bonæ, pretiosæ, & admirabiles.

*Quidquid, in omni genere rerum, præclarior est, id minùs in conspicuo est. In ipsa cognitione, semper germana rerum veritas altissimè latet, qua nec facile, nec à multis deprehenditur. crassum vulgus, quoniam præposterè iudicat, nimirum ex his, qua maxime sensibus corporis obuia sunt, astimans omnia, passim & labitur, & errat, ac falsis bonorum & malorum simulachris deluditur.* In summa, prima mundi lex est: **QVÆRENDE FACVLTATES, DEINDE VIRTVS,** cui è diametro oppositam tulit, qui dixit: *Querite primùm regnum* Matth. 6. 33. *Dei, & iustitiam eius.*

Hinc discipulis suis, & amicorum charissimis non promittit diuina Sapiencia fascès, non titulos honorum, non chlamydes & tiaras, non aureos annulos, & montes, & *precedentia longi agminis officia;*

VI.

VII.